Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 3157

Quelle:
Copyright:

DCCCCXVII.

957 Codex membraneus lat. Sec. XVI. Folior. 265. 4. eleganter ſcriptus, literis initiorum et marginibus pluribus jucundiſſimo florum inſectorumque ornatu variis, Picturis praeterea XII. grandibus ſacris artificis penicilli magnificus varia Pietatis Exercitia complectitur in uſum quondam *Ferdinandi* I. Rom. Regis, quem imperiali habitu de genibus precantem exhibet Icon praevia, addito ſupra conopeum: *Ferdi. Dei. Gra. Rom. Rex. Etc.* et Scutis *Burgundicis* feneſtrae adfixis. Inſunt vero: Miſſa de B. V. M. IV. Evangeliſtarum totidem Evangelia, Horae de Cruce, de S. Spiritu, et de Deipara, Pſalmi Poenitentiales cum Litaniis OO. SS. Vigiliae Mortuorum, Precesque ad diverſos Coelites. A morte Parentis Κειμήλιον iſtud Filio ceſſit; legitur enim in ora ſupera praedictae Iconis: *15. M. 65. Dominus: Prouidebit: Maximilianus.* et *fol.* 1. praevio: *Donatus eſt liber iſte Maximiliano II. Electo Imperatorj: 17. Aprillis. A. D. 65.* Utrumque ἀυτογεαφως. Ejus Inſignia vel Patris potius acu phrygia Thecae adpicta ſunt.

DCCCCXVIII.

777 Codex membraneus lat. Sec. XVI. Folior. 29. 8. elegantiſſime exaratus titulisque miniatis inſignis ita in Fronte artificioſe depicta inſcribitur: *Piae Aliquot Precationes ad Deum Optimum Max: contra Turcam, Ferijs ſextis, et reliquo Anni tempore fundendae, ac inuictiſſimo Ferdinando Caeſari dicatae.* Pag. 2. Icon certaminis Chriſtianorum cum Turcis exhibetur, *Moſe* ſupra rupem preces fundente ex *Exod.* C. XVII. adjecto infra Pictoris, ut puto, Monogrammate F. D. et anno 1557. quo nempe *Carolus* V. jam Fratri imperium remiſerat, quamvis hic per *Dedicationis* decurſum etiamnum *Rex* adpelletur a *Joh. Caualerio*, qui harum Precationum partem potiſſimam e ſacris Literis, puta Libro *Sap. Pſalmis, Judith, Eſther* &c. Perſonae *Ferdinandi* ſcite adcommodavit, quique ſe *Regis Clientem* vocat. Finem facit: *Piiſſima Precatio Gregorij Niſſae Epiſcopi fratris Baſilij magni, ex Oratione in Sanctum Theodorum Martyrem, quae etiam cuilibet alii Martyri accommodari poteſt, Interprete D. Jacobo S. Theol. Doct. et Decano Viennenſi.* Si Theologicae Facult. *Decanus* hic intelligatur, fortaſſis is fuerit *Jacobus Zieglerus Boj. Landavianus*, qui a. 1543. hoc magiſtratu functus eſt, quemque *Locherus* in *Spec. Acad.* a. 1549. obiiſſe tradit. Verum enimvero nomina *Decanorum* ab a. 1550. ad an. 1567. illi defuere.

DCCCCXIX.

Codex chartaceus lat. Sec. 848
XVI. Folior. 82. 8. partim impreſſus, partim manu exaratus, Liturgicus eſt, et continet primo *Calendarium* eccleſiaſticum impreſ-

ſum,